

circa custodiam exstiterunt, rei mortis illorum inveniuntur. Ut enim adhibita diligentia virtutis preconium consequitur, ita quoque remissa negligentia peccati culpam non effugit. Etenim veluti nutrices infantum vel pedagogi puerorum, si, quibus vitę tutamen per custodiam esse debuerant, per negligentiam imprudenter causa mortis institerint, nequaquam innocentes apud parentes eorum possint inveniri. Sic quoque mater, quae filio debuit diligentiam adhibere, per negligentiam mortuo non solvitur funditus a culpa reatus ignorantia.

Et in Levitico⁷³ precipitur, ut *anima que per ignorantiam* aliquid horum quae in lege domini praecipiuntur transgressa fuerit, *offerre pro peccato suo* placationis hostiam debeat. Quamvis enim delictum voluntate penitus remota per ignorantiam commissum laevisissima penitentię satisfactione curetur, non est tamen absque placationis hostia laxandum, quod per imprudentiam incautę securitatis esse constat admissum. Quod David propheta testatur, qui se non solum ab his, quę scienter admiserat, verum et ab eis, quę nesciens patraverat delictis se petit absolvi dicens: *Delicta iuventutis meę et ignorantias meas ne memineris*⁷⁴. Hinc per Moysen⁷⁵ precipitur, ut cum *inventum fuerit cadaver occisi hominis* in via, *maiores natu metiantur a loco cadaveris* usque ad civitatem proximam. Et *egrediantur seniores illius civitatis* et accipiant *vitulam* et *ducant eam ad vallem saxosam et asperam* et ibi *cędant cervices vitule* et *lavent manus suas* effundentes aquam *super corpus* immolatę iuvençę supplicantes se non involvi delicto hominis interfecti, cuius non fuerant conscii. Quid est enim cadaver hominis mortui repertum nisi patrati facinoris signum, sed ignorantię caligine tectum? Quid est autem ad civitatem proximam metiendo venire nisi discussionis investigatione disquirere culpam, qua id quod manifestum est delictum potuit admitti? Quae cum reperta fuerit, seniores illius civitatis egrediuntur, quia prudentiores animi sensus interrogantur et si quid in perpetrati sceleris opere a se gestum deprehenderint, nequaquam abscondunt. Ad vallem quoque saxosam et asperam vitula deducitur et ibi cervices eius cęduntur quia liceat criminis seream anima nullatenus meminerit, dum tamen non ab alio quam a se gestum recognoscit, humilitatem penitentię tamquam saxosam et asperam vallem expetit et ibi altitudinem cordis gladio dirę increpationis iugulat. Et negligentię atque imprudentię lasciviam damnat penitentięque fonte iniquitatis suę maculas emundat et divinę propitiationis clementiam implorat. Qua de

⁷³) Lev. 4, 2: *Anima quae peccaverit per ignorantiam ...; ebd. 4, 3: si sacerdos ... peccaverit ..., offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino.*

⁷⁴) Ps. 24, 7.

⁷⁵) Deut. 21, 1–6; siehe oben S. 379 Anm. 58.